


**05
A
2117**



Q. F. F. Q. S.

De

CREATIONE PRIMA

Ex Historia Naturali

PRÆSIDE

JOH. BAPT. ROESCHELIO,

Phys. Prof.

disputabit

M. GOTTLÖB LEHMANNUS,

Beltitiensis Saxo,

SERENISS. ELECT. SAX. ALUMN.

In Auditorio Majori

Ad d. Junii M DC XCVII.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.



ERICH FRIEDRICH

HANDELSSCHULE

JOH. BAPT. DESCHELIO

1850 A. 2497

Abbildung

M. GOTTLIEB LEHMANNIS

ALTE MÜNZE

ALTE MÜNZE

ALTE MÜNZE

ALTE MÜNZE

ALTE MÜNZE



I. N. J.

Pos. I.

Admiratione omnino dignum est maxime, non ex Græcis solum Barbarisqve, à Veritatis notitia remotis; sed etiam ex veræ fidei iniciatis, DEiqve sacramentum scientibus, nonnullos eo insaniz processisse, ut Deum & Materiam Primam pessime inter se confunderent, & aut illum Materiam Primam constituerent, aut hanc pro DEo venditarent. Perinde qvæsi cum Religione & pietatis sensu omnem qvoqve Rationis usum exuissent. Qvid enim in tota rerum Natura est à DEo tam remotum, disjunctum ac diversum, qvam Materia Prima. Ille Ens summum & qvodammodo ipsum esse; hæc ens insimum, & prope nihil; ille simpliciter independens & immutabilis: hæc omnino dependens & omni mutationi subjecta; ille infinitam activam habet potentiam, passivam nullam; hæc activam nullam passivam pene infinitam; ille ipsa sapientia; hæc omnis & sensus & rationis expers. Ut lucem & tenebras corpus & umbram, &, si qvæ sunt magis *ασύσατα* qvam ista, rectius qvis de se invicem enuntiet, qvam DEum & materiam Primam.

II.

Quantacunqve vero harum sit opinionum futilitas, ambæ nihilominus suos subinde patronos habuerunt, nec iisdem hodienum destituuntur. Imo nunquam eadem majori ornatæ sunt studio, qvam hac nostra ætate, qva longe maxima copia & seges datur Atheorum perinde ac En-

A 2

thu-

thusiastarum. Qvorum prioribus phrasis: *materia prima*
est *DEus*; posterioribus hujus conversa: *Deus est materia*
prima, nimium quantum arridet. Utrique vero in gratiam
sui sciti cœlum terramque movent, & præsidium, quod in
Theologia ob verbi Divini claritatem non inveniunt, in
obscuritate & caligine, quæ res naturales circumstat, quæ-
rentes eas in Physica de natura & constitutione corporum
excitant turbas, in quibus componendis Physico miris la-
brandum est modis, ni hic loci, hæc & his finitima vicina-
que opinionum monstra feliciter fuerint debellata, & or-
tus ratioque *Materiæ Primæ* convenienter exposita.

III.

Cæterum, quinam existis Θεούς primi existenterint,
& reliquos ætate antecesserint, copiosè discutere non est
necessæ. Ad perspicuitatem & tractationis facilitatem non
parum conferet illos primo memorare loco, qui mate-
riam in DEi solium collocarunt. Inter hæc si Anaximanderum
præterire fas est, in primis inclaruit *Strato* Lampsace-
nus, cuius *DEus*, ceu ex fragmento *Senecæ*, quod *D. AUGUSTINUS* conservavit, notum est, fuit sine animo, & na-
tura, ab eo dictus, caussas gignendi augendi, minuendi sic
babuit, teste *CICERONE*, ut careret omni non modo figu-
ra, verum etiam sensu. Qui *DEus* aliud profecto nil esse
potuit, quam *Materia Prima*. Cum quo utrum Xenar-
chus Peripatericus per omnia consenserit, nec ne, non sa-
tis liquet; non plane dissimilia docuisse *JULIANUS* arguit.
De *Alexandro Epicureo*, *Plutarchi*, in fallor, sodali con-
stat, eum secta potius & verbis, quam mente, a *Stratone*
dissensisse. Nam auctore *ALBERTO* materiam dixit
esse *DEum*, & formas esse accidentia imaginata, nec habere
peram entitatem, & ideo *OMNIA ESSE IDEM*.

IV. U-

S A

IV.

Utrumque erudito orbi novissime reddidit minime benedictus de SPINOZA. Etsi enim is notionem DEi subinde crepet, ac multus copiosusque sit in deprædicanda Numinis infinitate immensitateque, impropriè tamen DEo mentem seu intellectum tribui contendit, nec præter materialem rerum Naturam aliud Ens Primum, aut DEum, agnoscit. Davidem de *Dinanto* cum Alexandro conjungere, qvod fecit PERERIUS, non permittunt ea, qvæ subtiliter beneque de eo à Jac. THOMASIO sunt disputata. Scilicet cum Alexander senis Gargetii, Dinantius vero Aristoclis assecla fuerit, verosimile utiqve non est, tam diversarum Institutionum alumnos in eosdem de DEo coire potuisse sensus; qvin potius ille ut Atheorum, hic, ut Enthusiastarum summus & maximus, spectari considerariqve debet; & juxta illum *Materia Prima est Deus*, juxta hunc autem, *Deus est Materia Prima*.

V.

Qvod vero proximè citatus Lipsiensium Polyhistor hunc iis ait passibus supergressum Enthusiasmum Platonis, qvibus Epicuri atheismum Alexander aut Strato, & Th. REYNAUDUS eum probrum Christiani nominis appellat, tanquam qui primus inter Christianos tale quid docuerit, admittere non possumus. Etenim nec alienum quid à Platonis Platonicorumque mente dixit Dinantius, nec primus aut solus ex Christianis fuit, qui ita deliravit. Nam qvod bene observavit LEO Ebræus, & ipse Plato, visibilis Mundi chaos ex DEo, æternæ cujusdam processonis interventu, derivavit, & idem, aut simile quid, alii Theologiæ Mysticæ Patroni ante Dinantium statuerunt, ut, si quid ab hoc innovatum est, illud ipsum totum intra loquendi modum subsistat, dum, qvod reliqui obscurioris

rius dixerunt, id ipse clare & apertis verbis est elocutus, & non tam Platonis entusiasmum excessit, quam una cum antecessoribus suis ad Zenonis porticum non nihil declinavit.

VI.

Ansam declinandi ipsis subministrare poterat inanis perswasio, duas istas vias, in hoc minimum capite, aut non magnopere à se invicem dissentire, aut facili negotio sati commode in concordiam posse redigi. Eoqvis enim mortalium mente comprehendat, aut verbis eloqvatur? qvo pacto juxta sententiam Platonicam, chaos, & qvicqvid rerum corporumqve est, ex Divina essentia ortum suum trahat, nisi DEum & Materiam unum idemqve Ens esse statuat, & sic ad Stoicorum castra quam proxime accedat. Stoici qvippe hæc duo non eqvidem idem penitus dixerunt sed tamen fœdere tam necessario copulata esse voluerunt, ut unum per se constituant, non minus, quam materiam suæ conjunctam formæ. Etsi vero idem pene cum Stoicis & Alexandro tiniebant, dissidebant tamen ab utrisqve longe maxime. Stoici enim ex Deo & Materia ens idem efficiebant per utriusqve conflationem; Alexander vero & Dinantius per alterius Metamenphosin, iste qvidem materiam in DEum convertendo, hic vero DEum in Materiam mutando.

VII.

Semina portentosi dogmatis sine dubio tunc jacta sunt, cum fastidium simplicis ac piscatoriæ Theologiæ, in nonnullis Ecclesiæ Doctoribus mirum grandiloquentiæ Platonicæ Stoicæqve austeritatis desiderium excitavit. Latuerunt vero ea diu multumqve, nec, quantum huc usqve observare licuit, ante proruperunt, quam sub initium seculi XI. colono Johanne Erigena ad S. Menoviæ na-

to

to ut A. WOOD tradit & seqventem in modum docente :
materies , de qua legitur mundum fecisse , ab ipso (DEo) &
in ipso est , & ipse in ea est , quantum intelligitur ea esse.
Luxuriarunt tandem & floruerunt seculo XIII. cultoribus
Amalrico , vel , ut alii scribunt , Almarico , hujusque di-
scipulis. Ille qvippe , inter multa alia absurde posita , et-
iam statuebat DEum esse finem omnium , qvod omnia re-
versura sint in ipsum ut in eo immutabiliter conqvescant ,
& unum individuum atqve incommutabile permaneant.

VIII.

Scilicet insolentiam dogmatis reveritus homo naſu-
tus & vaſer subdole pro notione Materiae nomen Finis sub-
ſtituit , non cauſam finalem intelligens , ſed finem ultimum
& illud extreſum , in qvod , juxta Stoicorum placita , o-
mnia tandem ſint reversura , id eſt Materiam . Qvod cum
probe asſeqverentur diſcipuli , ulterius progreſſi ſunt , &
DEum principium *formale* omnium rerum constituerunt .
Qvam ſententiam THOMAS ab opinione Dinantii qvi-
dem diſtingvit , ſed , ut bene monet THOMASIUS , omne
diſcrimen verborum potius eſt , qvam rerum . Ulti ante
Thomasium jam CONIMBRICENSES obſervarunt , qui
Thomam Albertumqve de Almariānorū ſententia di-
ſputantes contulerunt , & tandem hos ſtatuiſſe ajuſt mate-
riam non ſolum non eſſe puram potentiam , ſed eſſe iſpum
purum actum , h. e. Deum Qvod erat iſpiffimum Da-
vidis de Dinanto , ex eadem cavea progreſſi , & , teſte
PRATEOLO , præceptoris opinionem ſolicite ſecuti ,
dogma .

IX.

Non poſſum non huc apponere gravifſimum judi-
cium , & argutam plane Jac. THOMASII de hominuſ i-
ſtorum iſtituto conjecturam . Sic autem iſ : dicas , inter

Amal-

„Amalricum & discipulos, ut horribile dogma tacitis velut
„incrementis adolesceret, conventum in has leges fuisse
„ut Amalricus in hac re vocabulum *Finis* usurparet, disci-
„pulorum quidam *Formam* in re haberent, consummator
„malitiae Dinantius, id quod reliqui, velut per ænigma,
„enunciavissent rotundissimis verbis profiteretur, *Deum*
„esse *Materiam Primam*: ne verborum hæc & sensuum por-
„tentositas, si subito ingrueret, aures occideret. Quæ sane
„citius illud ferunt, *Deum esse rerum omnium finem*, (pot-
„est enim finalis intelligi causa) vel *formam*, (potest e-
„nim assistens forma, potest externa rebus idea subaudi-
„ri) quam materiam primam, cui vocabulo tantum ad-
„hæret imperfectionis, ut à DEo semper maximis eam
„intervallis distraxerint etiam Gentilium siores. Inte-
„rim nec *Finis* Amalrici, nec *forma* discipulorum ablude-
bat à materia Dinantii.

X.

Tantum autem abest, ut Almariciani, quod inten-
debant, etiam obtinuerint, ut potius, simul ac vera eorum
animi sententia innotuit, alii eam damnarint, & hæreseos
notâ insigniverint. Penitus interim eo ipso extinctam
fuisse non dixerim. Tahit enim nescio quid Theologiæ
Mysticæ sectatoribus pergratum acceptumque. Quod ex-
emplo Ruisbrochii aliorumq; docet SANDÆUS; nos Phi-
losophorum Vitalium, seu Paracelsistarum, & horum gre-
galium Enthusiastarum flosculis declarabimus. Quidque in-
ter hos & veteres Platonicos nihil amplius discriminis in-
tercedit, quam quod hi in meris palpantes tenebris Chal-
dæorum fabulis adhæserint; illi, ad lumen verbi Divini cæ-
cutientes, Platonorum insomnia, & propriæ imagina-
tionis ludibria oraculis sacris anteponentes, in Mose nil
nisi Cabballistica mysteria quærant, de cætero adeo iis si-
miles

LEIBNITZ



miles, ut non ovum ovo, nec lac lacti magis esse queat, cum verborum gryphi, quibus animi sensa non tam elo-
quuntur, quam callide incrustant, ne monstrum alere ab o-
mnibus deprehendantur, opinionum varietatem non in-
ducant.

XI.

Certe, si verba ipsorum non inaniter tinniunt, sed a-
liqvid significant, & certum continent sensum, eodem re-
cidant necesse est, scita PLATONIS de æterna chaos gene-
ratione, & ROB. FLUD de FLUCTIBUS: quod Deus genuie-
rit, produxerit, fecerit & creaverit nihil, quod non esset eter-
num in ipso. Item seqvens JAMBlichus: materiam Deus
produxit dividendo materialitatem ab essentialitate; atque
distinctio, quæ apud Philosophum Teutonicum, si Diis
placet, occurrit inter Es & Sentz, nec non altera inter Ylia-
strum, & quod Yliastrum comprehendit. Perinde atque e-
iusdem Pater, seu mundus lucidus, & R. FLUD Aleph luci-
dum idem sonant, & ambo sine dubio ortum suum debent
dogmati, quod in Successione Alexandrina viguit, de Uno
Deo & Rege Sole. Enimvero nil opus est conjectura, e-
nunciavit mysterium, & quomodo hæ & similes τερατολο-
γιαι capienda sint, dilucide exposuit Compilator Cabbala De-
nudata, quo nemo majori conatu hanc ornavit sphingem.

XII.

HENRICUS MORUS cum Böhmio conjungendus
non est. Nam quamvis summus existiterit Cabbala patro-
nus, & simultaneam animarum creationem acerrime pro-
pugnarit, ab hoc tamen entusiasmi genere eum abhor-
ruisse, satis luculenter demonstrat Confutatio Funda-
mentorum Cabbala Aëto-pædo-Melissæ. Huic Compilator
Dialogum opposuit, in quo non evideat vel cum HOB-
BESIQ, vel cum LUBINO, materiam nudam facit notio-

B

nem

nem, sed tamen substantiam esse non admittit, & saltem extrinsecam accidentalemque quandam substantiae spiritualis modificationem vocat. Nempe, secundum ipsius placitum, quicquid est, spiritus est, sive fundamentaliter, ut corpus hominis, sive realiter, seu formaliter, ut Anima, Angelus, Deus; materia vero qualis, seu formaliter considerata, non tantum non existit ex se, sed ne existit quidem positive, verum privative, sicut umbra, quies, nec immediate creata est, sed ex descensu quorundam spirituum in statum mortis resultavit, quando spiritus illi immediate creatus, et statu cognoscendi, penetrandi, movendi, in statum impenetrationis, stuporis & caliginis progressi, sicque monades physicae facti, nomen & qualitatem materiae acquisiverunt.

XIII.

Hinc geminam ponit creationem, unam immediatam, mediatam alteram. Mediata ipsi nil aliud est, quam monadum spiritualium torpentium, & omnia materiata, tanquam materia prima, constituentium coalitio. Itaque & liberam, & in tempore factam largitur. Immediatam vero nunc per effectionem entis efficientis infiniti, qua constituitur ens separabile, nunc per essentia divinae emanationem, qualis est luminis a luce, vel cogitationis ab anima, definit, indeoque necessariam & aeternam fuisse propugnat. Deum enim creare per intrinsecam necessitatem, si creatio intelligatur ratione subjecti immediata, adeoque non nisi spiritualis natura, quae hoc respectu sit immanens, ut motus ab igne, cogitatio ab anima. Porro, quia MORUS scriperat, secundum hanc Cabalam essentiam Divinam dividi in partes, quae & corpora sint, & essentia divina, & modo lapides, plantae vel bruta, modo Deus, & Cœli terræque Creator; huic quoque dubio satisfacere annisus est: verum, nisi vehementer fallor, tam infeliciter, ut totam caussam tradiderit,

rit, & sententiæ hujus deformitatem prodiderit penitus.

XIV.

Nam primo: non omnis, inquit, spiritus est essentia divina identitate numerica, sed tamen specifica, vel genericā: deinde mentem suam socrorumque plenius declaraturus seqvens subjungit simile. Sicut enim v.g. cum in fonte quodam limpidissimo occulte latent particulae aliquæ terrestres & petrose, & illæ deinceps separantur & concrescunt, nemo dicit, fontem dividi in lapillos, sed lapillos separari: ita Crea- tor primo quidem produxit infinitas spirituum myriades, cum ipso in summo felicissimæ perfectionis gradu unitas, ita ut Deus esset in omnibus; deinde autem, ob varios adhibiti arbitrii proprii gradus, horum facta est secretio tot graduum, quot sunt cognitionis, ad extremum usque, qui est istius pri- vatio, adeoque mors illa aliquando iterum absorbenda. Qvi- bus quid ad absurdum dogma declarandum simul & ever- tendum apposite magis dici potuerit, non video. Pone e- nem, hæc dici a Philosopho per ignem, qui non nisi unum corpus simplex, seu elementum, agnoscat, aquam videlicet, a qua per solam diversam modificationem sit, quicquid cor- porum naturalium existit, quid quoquo relinquetur aliud, quam ut dicamus: quemadmodum lapilli ex aqua concre- ti sunt aquæ partes modificatae, ita quoque materiata, ad sta- tum solutum aliquando regressura, sunt partes ejusdem nu- mero essentiæ divinæ, diversimode modificatae.

XV.

Neque quicquam præsidii est absurdæ sententiæ in posita immediatæ creationis definitione, aut modo producendi spiritus immediate creatos, ad modum cogitatio- nis at anima emanantis. Caste enim & sobrie de Deo lo- quendo, cogitatio divina est ipsa Essentia Divina, a nobis apprehensa, ut cogitans, & sic nihil a se distinctum produ-

cit, nec ens aliquod separabile constituit. Qvare, si spiritus & distincti ab essentia divina, & cogitatione producti sunt statuendi, Deus more humano cogitare censendus erit, & ut in cogitatione humana intellectus a potentia transit in actum, & species intelligibiles format, ita intellectus divinus pariter transibit a potentia in actum, & species intelligibiles producet, inter quas & humanas id intersit, quod idem humanæ sint intentionales & transitoriae, divinæ vero substantiales & permanentes: illæ intellectum non egrediantur, hæ ab eo separari & insuper comprimi & coarctari queant. Perinde scilicet, atque in Theosophia Cabballistica *Or-Haensoph*, sive *Infinitum*, ubi creare constituit, comprimebatur & contrahebatur a puncto quodam, ut ingens in ejus medio vacuum fieret, in quod radii divinæ lucis emanare, ibidemque in struem componi, in columnas disponi, & in orbes mundosque conglobari possent.

XVI.

Plane ut appareat, gravissime verissimeque H. MORMONUM pronunciavisse, Cabballistas bosce aperte ostendere, se non cum ratione philosophari, sed temerarias impura & imaginationis corpore & que phantasie scenas erigere, Deumque materialē & corporeū facere. Negat quidem hoc vehementer Cabballista Catechumenus, & non Cabballistarum sed dissentientium hypothesin materialismo patrocinari, variis demonstrare rationibus satagit. Enim vero, ut argumenta ab ipso allata id, quod debebant, non evincunt, ita contrarium nullo negotio deduci potest ex iis, quæcum de Græcorum Philosophis, tum de semipaganis Almarici discipulis, saepius citatus JAC. THOMASIUS tradidit. Bene monens hos, *omnia esse Deum, & Deum esse omnia*, hautquam dicere potuisse, nisi Deum pro formali juxta & materiali

teriali rerum universarum principio habuissent; in istam vero insaniam prolapsos fuisse, vel ex nimio Platonis amore, vel ex studio cudendi syncretismum religionis nostræ & Gentilismi. In hoc quippe viventes philosophi ad unum omnes Deum materialem fuisse, & si immateriale profiterentur, ideo tantum pertinuisse, ut ab illa crassi corporis materia, quam tangimus, tanquam ab altero rerum omnium principio, distinctum quid esse intelligeretur.

XVII.

Idem cum Thomasio si sensisset summus vir, & seculi sui Phoenix, J.F.PICUS, nunquam profecto libros mysticos, in quos forte fortuna inciderat, tantopere celebrasset, nec magnifica sua commendatione aliis autor exstisset, ut eos sine ulteriori, vel rigorosiore examine reciperent, & sibi persuaderent, se in iis inventuros, non quod pueri in faba. Centones scilicet pro thesauro, pro sublimiori Theosophia superstitiones magicasque opiniones, pro interiori & recondita rerum Naturalium scientia, chrysopœiam & metallorum transmutationem. Fuit, fateor, dulcedo Alchemiæ fere perpetuo cum lenocinio arcanæ Theologiæ, & persuatione singularis cognitionis, non corporeæ solum, sed & divinæ spiritualisqe Naturæ conjuncta; sed nunquam tot monstroosas de Deo & ortu creaturarum opiniones exclusit, quot excitavit ex eo tempore, ex quo sacrum Cabbalæ ancile innotuit, & Chemistæ simul Cabballistæ sunt facti, viam præeunte Theophrasto Paracelso, sequentibus strenue Fratribus Roseæ Crucis cum gregalibus.

XVIII.

Contineri in Libro *Sohar*, hujusque partibus a Compilatore recensitis, genuinam veterum Israelitarum sapientiam, facilius asseritur, quam probatur. Nam antiquissima Iudeorum tradita per doctores de quibus queritur

ad nos defluxisse, tanquam per contextos atque inclusos undiqueaque aqueductus & canales, æquæ lubricum, ac incertum est; atque in Philosophia Pythagorica, & Platonica multæ occurrere Philosophiæ Barbaro-Judaicæ vestigia. Qibus enim idoneis testibus comprobabitur, Judæos Cabbalam, si quam habuerunt, cum Gentibus communicasse? Qibus veterum suffragiis evincetur, eandem calamitoso & clamato rerum Judaicarum, urbis excidium per Titum consecuto statu, sartam tectamque permansisse? Qui Pythagoram Judæum fuisse, vel ad Judæos accessisse credit, parum videtur pensi habere, qibus se involvat difficultatibus, & seqvitur sententiam, quæ non alio nititur fundamento, quam vixisse Pythagoram, peregrinandoq; cum alias regiones, tum præsertim Persidem lustrasse, eo tempore, quo Judæi Persas Babyloniosque inter adhuc captivi degebant. Quod æquæ incertum est, atque illud.

XIX.

Age vero, simus liberales, & Pythagoram, vel vivo adhuc Daniele, sed septuagenario majore, juxta G. WENDELINUM, vel proxime a beata & felici ejus ex hac vita migratione juxta, E. SIMSONIUM, Babylonem venisse largiamur, ibidemque cum Judæis, qui, ut JOSEPHUS loquitur, τὰ ιτήματα παταληπῖν & θελόντες in patriam non sunt reversi, collocutum ponamus. Cui, amabo, vel per quietem in mentem venire potest, hos, lucro unice inhiantes, & possessiones suas amori Patriæ cultuique publico anteponentes, aliquam tantorum mysteriorum notitiam habuisse. Ex sacerdotum ordine quosdam remansisse, vel, si remanserunt nonnulli, eos arcana suæ Religionis homini extero & profano prodere voluisse, genius gentis suspicari non permittit. Illud CLEMENTIS Pythagoras multa ex nostris translavit εἰς τὴν ἑαυτὴν δογματοποίησαν, in suorum dogmatum traditionem, ut vulgo exponunt, aut in suorum dogma-

*dogmatum conformatiōnēm, uti SCHEFFERUS reddidit, nūl
amplius innuit, qvā Pythagoram qvāsdam doctrinas, qvā
in Judæa resonabant, & ex hac ad vicinos propagatæ fuere,
in oriente hausisse, & illis suam ornasse vel auxisse Phi-
losophiam: nec aliud omnino loqvuntur pauca illa do-
ctrinarum Pythagoricarum fragmenta, qvā sāvientis ple-
bis furorem, & temporum injuriam effugerunt.*

XX.

Taceo de vera Judæorum Cabbala prædicari, con-
tinuisse claram & perspicuam mysticorum parabolico-
rumqve scriptorum explanationem. Qvod si erat, qvi po-
tuit ipsa esse ænigmatica parabolicaqve? Qvare longe pro-
babilius, longeq; verisimilius videtur, Tabulam sephiroth,
& qvicqvid istarum Cabballisticarum teratologiarum est,
ex eodem profluxisse fonte, ex qvo tota hieroglyphica my-
thicaqve Matæologia promanavit, & Cabbalam Judæorum,
qvā jam sub tyrannide Antiochi nonnullam passa est
corruptionem, tandem cum excidio reipublicæ maxi-
mam partem interiisse; Rabbinos vero, postqvam beni-
gnior adspiravit aura, ne tantam jacturam fecisse videren-
tur, deperdita aliunde resarcire volentes, Ægyptiorum
Chaldæorumqve oracula sublegisse, aut ad minimum Pla-
tonicorum placita, in fundo illo nata, in suum transcripsisse
peculium. Amat & affectat eqvidem eruditissimus, & in
disciplinis Græcorum versatissimus PHILO, allegoricum
dicendi characterem, & Platонem æmulatur egregie; at
tanta sensuum & elocutionis consonantia inter eum &
Cabballistas non observatur, qvanta inter Chaldæorum &
Ægyptiorum deliria, interq; recentiorem Cabbalam de-
prehenditur.

XXI.

*Posse terminos Cabballisticos aliam quoqve secun-
dum rationis dictamen interpretationem admittere, qvam,
qua*

quæ absurditatis vitio laborare dici queat, tunc CABBAL.
CATECHUM. concedemus, cum ab ipso clare & perspicue
fuerit demonstratum. Interea Illustrum Hippoensium
Episcopum audire licebit sic commentantem : sunt, qui
„desertis virtutibus, & nescientes, quid sit Deus, & quanta
„majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum
„aliqvid se agere putant, si universam istam corporis mo-
„lem, quam Mundum nuncupamus, curiosissime intentissi-
„meque perquirant. Unde tanta etiam superbia gignitur,
„ut in ipso Cœlo, de quo sæpe disputant, sibi met habitare vi-
„deantur. Reprimat igitur se anima ab hujusmodi vanæ
„cognitionis cupiditate, si se castam Deo servare disposuit.
„Tali enim amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet
„esse, nisi corpus, aut, etiam si auctoritate commota fateatur,
„aliqvid esse incorporeum, de illo tamen, nisi per imagines
„corporeas, cogitare non possit, & tale aliqvid esse credere,
„quale fallax corporis sensus infligit.

XXII.

Sane a captu sanæ rationis, tam remotum, quam quod re-
motissimum esse videtur, materiam nudo in respectu con-
sistere, imo privative tantum esse habere; contra essentiam
divinam gignere, spiritus quantos & mutabiles, & tamen es-
se immutabilem & simplicissimam. Nam, ut GREG. NYS-
SENUS bene infert: *Si est in Deo magnitudo, quomodo ipse*
magnitudinis est expers: si in ipso est compositum, quomodo
simplex est, & nullis ex partibus constat? Aut, si hæc consi-
stunt, ecce tam multi ex gentilibus ab hac sententia tanto-
pere abhorruerunt, ut crassissimum ei errorem præferrerent,
& ne Deum componerent, duo entia independentia pone-
rent, utrumque $\alpha\gamma\epsilon\nu\tau\sigma$ & infectum Rerum Naturalium
principium, Deum & Materiam, quæ nunquam non fuerit,
sed inulta inersque jacuerit, donec Mens accederet, & ex ea
Mun-

Mundum construeret formaretqve, non juxta suum placitum, sed prout ipsa pateretur.

XXIV.

Hanc Materiam, qvæ ipsa semper fuerit neqve nata, neqve facta, nec initium omnino habens, nec finem, defendebant etiam Hermogenes, Marcion, Valentinus, Seleucus & Hermias, a TERTULLIANO, THEODORETO & PHILASTRIO castigati. Cave autem, cum iis Originem conjungas. Nam illi, perinde atqve Thales, Hippo, Hippias & Anaxagoras, duo rerum principia constituebant, utrumqye utriqve coæternum, neutrum ab altero pendens; Origenes unicum, DEum, qvi materiam ex se nunquam non produxerit. Itaqve, etsi pro demonstranda materiæ æternitate Marcionistarum argumenta alicubi adhibuit, materiam tamen illorum respuebat, aliam non ortus qvidem & principii expertem, sed ante secula, ita a Deo, ut lumen a sole proficiscitur, productam propugnans. Inqvo cum Platonicis suæ ætatis faciebat, aqvibus tamen alio nomine dissentiebat. Illi qvippe, ut Magistrum cum Præceptore suo conciliarent, contendebant, Platonem dixisse, Mundum qvidem factum, at ab æterno, adeo ut principio temporis, non caussæ careret, nec esset hoc temporis, sed substitutionis initium ut AUGUSTINUS ait. Adamantius vero mundum hunc, qvi & ipse seculum dicitur, volebat multorum seculorum finem, ac multorum porro seculorum initium.

XXV.

Radix & seminarium, ex qvo pessimum & late serpens hoc, qvod hactenus tractavimus, cacoethes propullulavit, fuit decantatum illud effatum : EX NIHIL NIHIL FIT. Hoc enim $\alpha\tau\tau\pi\iota\varsigma\sigma$ & $\alpha\alpha\tau\tau\iota\bar{\rho}\eta\tau\sigma$ si statuatur, & Mundus, ut par est, in tempore factus formatusqve po-

C

natur,

natur, necessario aut simplicitas, aut unitas causæ primæ neganda venit, & vel Deus materialis statuendus, vel duo entia prima & independentia concedenda. Qvia vero sana ratio nec Deum corporeum, nec duo entia prima admittit; hinc, etsi nonnulli eo insanæ processerunt, ut contradictorie duo prima statuerint, alii tamen, ad evitandum tantum absurdum, qvocunqve aliud dogma excoigitare, & aut existentiam Numinis, aut essentiæ divinæ simplicitatem, sive directe, sive indirecte negare satius duxerunt, qvam non servare principium, ab omnibus, ut certum & evidens, receptum.

XXVI.

Receptum enim fuisse a plerisque Philosophorum, certe ab omnibus, adversum qvos præsens instituta est Disceptatio, certissimi locupletissimique testes confirmant. Confirmat CABBALI: CATECHUMENUS, sententiam de materia ex nihilo creatam non solum absurdam & incongruam, sed & divinæ sapientiæ, bonitati & pulchritudini è diametro repugnantem vocans. Confirmat ROB. FLUD, inepte scribens: *Si vocabulum Nihilum debeat sumi pro nihilo negativo, seu absoluto illo, qvod non cadit sub intellectum, nunquam pro prima creationis materia esset intellectum, aut à sapientia ullo tempore acceptum.* Confirmat ARISTOTELES: *Id maxime, inquisiens, veritisunt, qvi philosophatisunt primi, ne gigni quidpiam affererent ex nihilo präexistente; & alibi de Anaxagora videtur is sic infinita esse putasse, dia τὸ ὑπολαμβάνειν τὴν ιοιην δόξαν τῶν Φυσικῶν ἐιναι ἀληθῆ, ὡς οὐ γινομένου θδενὸς ἐκ τῆς μη ὄντος; & post pauca: ἐν μη ὄντων γίνεθαι ἀδύνατον, περὶ γαρ τάυτης ὄμογνωμονθσι τῆς δόξης ἀπαντες οἱ περὶ Φύσεως.*

XXVII.

Confirmat idem & CICERO, qværens: *erit aliquid, quod*

*quod ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat? Quis
hoc physicus dixit unquam? Nec est, ut eidem quis respon-
deat, dixisse id Xeniadem Corinthium, qui apud EM-
PIRICUM diserte dicat, quicquid fit ex nihilo, fieri, & quic-
quid corruptitur, corrupti in nihilum. Nam explicari
id potest eo modo ac sensu, quo ipse ARISTOTELES fie-
ri aliquid docet ex non-ente, non illo simpliciter, nulla
præexistente materia, aut nihil conferente materia; sed ex
non-ente per Accidens, ex adjuncta ipsi materiæ priva-
tione, ea ratione, qua Musicus ex non-musico aliquis eva-
dit. Vel neque ex ente, neque ex non ente, sed ex ente
in potentia. Quomodo rem explicare conatus est, ubi ad
illorum respondet dubitationem, qui in id erroris deve-
nerant, ut affererent, nihil fieri aut generari, eo quod, si
quid generaretur, illud fieri deberet aut ex ente, aut ex
non ente, quorum neutrum sit possibile. Neque enim
ex ente fieri, cum jam sit, neque ex nihilo, cum ex nihilo
nihil fiat.*

XXVIII.

Noverat id ipsum LEO EBRÆUS. Hinc Platonem dixit
chaus æternitatem introduxisse, ut Mosaicam mundi crea-
tionem philosophicis rationibus magis tutam redderet at-
que munitam, & dictum illud apud omnes sapientes cer-
tum & constantissimum, ipse quoque purum integrumque
servaret. Certe ex hoc principio OCELLUS LUCANUS
mundi æternitatem afferuit, & STAGIRITA, ejus legens
vestigia, eandem tanta docuit constantia, ut propterea A-
phrodisiæus testatus fuerit, hanc opinionem ipsi præ o-
mnibus aliis maxime placuisse. Ex hoc EPICURUS ato-
mos vim motricem, seu impetum, atque adeo motum,
quo ab omni ævo varie oberrarint, à seipsis habere voluit,
fortunamque & casum primam omnium rerum caussam

constituit. Ex hoc CHRYSIPPUS sempiternam & indeclinabilem rerum seriem, & catenam volventem semetipsam & implicantem per aeternos consequentiaz ordines, procedit. Ex hoc Physici, omnia simul fuisse, nec generationem, sed qvandam solum alterationem, vel congregacionem & segregationem dari: Xenophanes deniqve, Parmenides & Melissus id omne, qvod est, unum esse collegunt.

XXIX.

Diversimode, fateor, de genuina horum mente sentiunt & loqvuntur SIMPLICIUS, PLOTINVS, AVEROES, BESSARION, FVRNENCK; sed litem dextre composuit, & veram illorum sententiam satis feliciter aperuit acutissimus BERIGARDVS, qvi non, qvid senserint, sed, qvid sentire convenienter & apposite ad sua principia debuerint, inqvirendo docte subtiliterqve demonstrat, & Anaximandrum, primum Scholæ Jonicæ doctorem, & Xenophanem cum successoribus, & Empedoclem Agrigentinum, per unum, qvod constituebant, rerum principium nil aliud intellexisse, qvam Universum corporeum, unum continuatione, infinitum extensione, immobile secundum totum, mobile secundum partes, incorruptum & necessarium utroqve modo, intelligens cognitione eminenti, & à nostra longe diversa. Hoc Deum dixisse, ex quo orientur omnia & in quem desinerent omnia. Plane, ut MANILIVS canit:

- - Faciuntqve Deum per quatuor artus;
& VIRGILIUS: - - Deum namqve ire per omnes
Terrasqve, tractusqve maris, cœlumqve profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas;

Sci-

*Scilicet bucreddi deinde, ac soluta referri
Omnia: nec morti esse locum.*

XXX.

Miratur GASSENDVS, scribere ARISTOTELEM, reliqvos Philosophos omnes genitum Mundum afferere, quasi ipse solus ingenitum æternumque dicat, cum tamen, præter mox commemoratos Theologos & Physicos, idem etiam dixerit Pythagoras, auctore STOBAEO. Sed non mirabitur, quisquis CL. Berigardo, imo quisquis GASSENDO, quid per Universum veteres intellexerint, disqvarentia auscultare voluerit. Scilicet, etsi non pauci Veterum, qui Stagiritam ætate vel antecedebant, vel proxime contingebant, Mundum habebant, aut constituebant Universum, longe tamen plures hoc ab illo, tanquam totum à sua parte distinguebant, & Universi seu $\tau\hat{\gamma}\pi\alpha\tau\circ\varsigma$ nomine comprehendebant cum mundum, tum spatum infinitum, vacuum juxta nonnullos, juxta alios aut infinitis Mundis, aut indigesta materia repletum. Hoc spatum & materiam æterna & infecta, seu $\alpha\gamma\epsilon\nu\eta\tau\alpha$, asserebant, Mundum aut casu, aut fatali rerum serie genitum. Primus Aristoteles & materiam Mundo priorem extitisse, & extra cœlum tempus, locum, vel inane dari posse inficiatus est, &, non nisi unicum esse & esse posse Mundum, ex motus æternitate propugnavit; secutus Ocellum Lucanum qui & ipse, ut inter $\delta\lambda\sigma\varsigma$ & $\pi\alpha\sigma\varsigma$ nullum agnoscit discrimen, ita nec genitum, nec interitum illud edixit.

XXXI.

Itaque CICERO: veniet, inquit, orationis aureum flumen fundens ARISTOTELES, qui Stoicum, afferentem Mundi initium, despere dicat. Neque enim ortum esse Mundum, quod nulla fuerit, nullo consilio inito, tam præclarioris operis inceptio. Nihil est necesse perseQUI, quos

ille habuerit hac in re sectatores: sufficit, qvod CENSORINVS habet, dum, adjuncto illi Theophrasto, (Dica-
archi Messenii qvippe jam ante meminerat) asserit, fu-
isse præterea multos non ignobiles Peripateticos, qui i-
dem scripserint, & negarint omnino, posse reperiri: *A-*
ves ne ante, an ova generata sint, cum ovum sine ave, &
avis sine ovo gigni non possit. Itaque & omnium, quæ in
sempiterno isto Mundo semper fuerunt, futuraque sunt, prin-
cipium fuisse nullum, sed Orbem esse quendam generantium
nascentiumque, in quo unius cuiusque generis initium simul
& finis esse videatur. Illud minime prætereundum, ea
animorum contentione argumentorumque pondere or-
tum Mundi & impugnatum & defensum fuisse, ut MA-
NILIUS, qvæsitum solvi posse desperans, recitatis variis
opinionibus tandem subjecerit:

Semper erit genus in pugna, dubiumque manebit,
Quod latet, & tantum supra est hominemque Deumque.

XXXII.

Rem Deo improbam dicturus fuisse PLINIUS, sen-
tentiâ Græcis Latinisque non inusitata, at impia & de-
testanda maxime. Coeterum præsentem qvod attrinet dif-
ficultatem, non solum Manilio, sed & Berigardo & Viz-
zanio ea visa est summa. Nam BERIGARDUS du-
bitat, an aliam laboriosius eluctari philosophus possit: VIZ-
ZANIUS vero confidenter affirmat, solo naturæ ductu proce-
dentes, nec immenso supremi Numinis favore ad certissimam
divinorum operum notitiam elatos, cœlestiumque nescios
arcanorum, veritatem certo ictu vix attingere potuisse, ad-
ditoque testimonio Doctoris Seraphici, docentis, Mun-
dum non semper fuisse, sola fide teneri, & demonstrative
probari non posse, pergit: ignoscat ideo unusquisque Ocello,
antiquissimo Scriptori, unaque Aristoteli, Universi æterni-

etatem

tatem falso licet afferenti, & tantorum discat virorum exemplo, exilem humanam esse sapientiam, ac mortales quoslibet, Platonici velut antri novos incolas, non veritatem, at veritatis umbras inani tantum modo semper captaturos complexu, ni divina radius affulserit sapientia. Quid? ipse GASSENDUS haesisse videtur, an Mundi ex Nihilo productio demonstrari queat, quando illud solum querit: an ipsa ejus inspectio & naturalis ratio SVADERE possit, exortum fuisse, neque eternum revera esse?

XXXIII.

Verum enim vero, & superari posse à Philosopho, quicquid hic difficultatis occurrit, & Universum nec aeternum esse, nec naturaliter genitum; sed ab alio ex nihilo productum, nemini non ex sola rerum contemplatione naturalique ratiocinatione, etiam citra peculiarem DEI contactum, & eminentioris ordinis revelationem, multo evadit manifestissimum, si à præjudicio temporalis generationis, & quacunque alia vana persvassione immunis & vacuus ad mundanorum orbium scrutinium accedat, & omnia diligenter ante expendat, quam de tempore nunquam deficiente, de corpore infinito, de motu aeterno quicquam definiat decernatque. Certe orbem hunc, quem inhabitamus, novitatis plane pleneque convincunt cum incolarum ejus mutationes & generationes finitae, tum fides historica quæ apud profanos, ceu bene urget LUCRETIUS, ultra bellum Thebanum aut Trojanum non assurgit, & omnes artes recens ad inventas testatur, seu multarum rerum cultum emendationemque, vel ipsam inventiōnem recentem esse profitetur, ut eleganter posteriorem Lucretii rationem circumducit, & pluribus illustrat MACROBIUS, dignus, qui inspiciatur, cum desiderata brevitas totum adscribi locum non permittat.

XXXIV.



XXXIV.

Qvæ ARISTOTELES de vastationibus regionum, migrationibusqve populorum, ob bella, morbos, similesqve calamitates fieri solitis, regerit, & PLATO, CICERO atqve MACROBIUS de eluvionibus, exustionibus terrarum, repentinisqve belluarum multitudinibus commorant, per qvæ historia antiquissimorum seculorum exciderimus, oppido imbecilla sunt, & respectu totius terrarum orbis nespeciem quidem subtilitatis, nedum veritatis præse ferunt, ac dudum à GASSENDI tam docte, tam copiose sunt discussa, ut iis immorari foret Iliada scribere post Homerum. In narratiuncula de serpente in saxo reperto, qvam BERIGARDUS refert, quid præsidii sit non appareat, nisi homines jam non ex jactis ad mandatum Deæ lapidibus, sed sua sponte fungorum instar ex terra, qvin undelibet prorumpere posse credendi necessitas imponatur. Si vero nunquam, seu eluvio, seu exustio, omnes terras, aut omne hominum genus vel omnino operit, vel penitus exurit: nonne vel una regio, ex qvo in habitari cœpit, & colonos suos per multas seculorum myriades sustentare, & rerum transactarum memoriam conservare potis fuisset. Dicam amplius, nullum esse illorum argumentorum omnium, qvæ pro antiquitate orbis hujus adducuntur, ex qvo non ejusdem novitas verisimiliter deduci queat.

XXXV.

Jam ex iis, qvæ apud nos in terra contingunt, mutationibus recte convenienterqve mundi ortum probari absurdum de infinitis Solis revolutionibus Stagiritam docere poterat; poterat & cantatus HOMERO septimæ Pleiadum interitus, qvi satis indicat, sapientissimam antiquitatem non ignorasse illas ipsas commutationes, qvas in Cælo

Solertes & nocturnis pervigilationibus dediti Cœli scrutatores observarunt, certissima non incolarum quidem, at corporum compositorum documenta: sive jam materia, ex qua constant, diversa sit ab elementis sublunarium, sive eadem cum his, quod non obscure arguunt densitas, rarietas, opacitas, diaphaneitas, asperitas, lumen, color, & similes conspicuæ in iis qualitates. Certe in natura constituta omnis mutatio & alteratio fit ratione contrarietatis, quod non modo non diffitetur, sed etiam inculcat & urget OCELLUS, de quo cæteroqui merito dubites, majorum oscitantiam an incuriam prodiderit quando scripsit: fata ipsa distinguunt, ac secant semper passibilem Mundi partem, & semper mobilem. Isthmus enim est immortalitatis, & generationis Luna cursus. Nam quicquid & suprase, & in se Luna continet, id omne Deorum sedes; quod vero infra illam constitutum est, totum id contentio, & natura assignatum. Quid enim μοῖρα, sive fatum, aliud, quam nexus caussarum, & ordo ac dispositio partium universi. Hanc qui agnoscit, is etiam ordinantem, & Mundi ortum agnoscat oportet,

XXXVI.

Constitutus quippe ordo æternus esse nequit. Quoniam constitutio est actio, quæ fit in tempore, quod quia ens successivum est, necessario aliquando cœpit, sicut ex opposito ens æternum, utpote sibi semper simile, & omnis motus atque mutationis expers, neque factum, neque constitutum unquam. Ignorantia momenti, quo dispositio fuerit facta, non facit, quo minus ea suam habeat caussam. Ipsa sui caussa esse non potuit, nisi & antequam fuit, & fuerit, & sapuerit. Nunquid enim omnis orbium cœlestium complexio minori artificio perfecta sit, quam exigua Posidonii, aut Archimedis sphæræ, quas vel immanissimus, & ab omnibus artibus alienissimus barbarus à ratione perfe-

D

ctas

etas agnoscat. Si vero artis opera sine ratione & artificis consilio fieri nequeunt, quanto minus absqve summa sapientia constructa fuerit Mundi machina, qvæ omnium & maxima, & artificiosissima. Quid enim habent artis opera in se, qvod admiremur, nisi qvod naturæ solertiam æmulentur, adeo ut primi artium Auctores nihil invenisse, sed omnem suam peritiam a naturæ contemplatione didicisse videantur. Unde, ut alia taceam, ipsius artis mechanicæ natæ sunt regulæ, nisi qvod ab intervalli, molis, motus & figuræ rationibus, qvæ in musculis sunt, observentur.

XXXVII.

Porro, si non fuit, qvi ordinavit, qvæ ratio allegari poterit tam admirabilis tantarum molium symmetriæ, qvæ unum constituunt systema totale stupendæ qvidem magnitudinis & extensionis, finitæ tamen. Dispositio enim non cadit in rem, cuius partes definitæ; ex definitis autem partibus infinitum non exsurgit. Qvod si qvis sparsos sine systemate globos opinetur, cur ii tantam inter se sortiti sunt distantiam, cum potuerint & majoribus disjungi intervallis, & minoribus congregari? Cur tam diversimode moventur, & in tanta motuum varietate locum suum adeo sancte tuentur? Cur non perpetuo alii atqve alii oriuntur, cum casu & fortuna nihil sit inconstantius, & infinitarum atomorum infinitæ esse possint combinaciones? Cur atomi in hanc potius, quam aliam qvamcumqve rerum faciem abierunt, & hæc a tot seculis tam constanter perduravit, nec ob assiduum ingenitumqve motionem atqve machinationem, jam pridem est dissoluta? In vorticibus nihil hic est præsidii. Qvis enim illis suam admensus est quantitatem & magnitudinem? Qvis centra & polos constituit? Dicas: Naturæ ista sunt, non artificiose ambulantis, ut ait Zeno; sed omnia cœntis & agitantis motibus & mutationibus suis.

XXXVIII.

XXXVIII.

Ita quidem Cotta Ciceronianus. Qui si aperte eloqui voluisset, quid Naturæ voce intellexisset, intellexisset quoque, se nihil omnino dixisse. Nam aliam & diversam a Mundo substantiam eadem non denotabat, secus Balbo minime contradixisset; sed vel rerum Naturalium Universitatem, quæ nihilo plus consilio valet, aut magis sui caussa existere potest, quam brutæ, suique nesciæ rerum singulærum naturæ, ac systemata partialia, & vortices, ex quibus constat: vel formam mundi, & elegantem partium ordinem & dispositionem, uti indicare videtur, quando sympathiam, seu conspirantem rerum omnium cognationem definivit. Qvicquid autem intellexerit, nihil aliud dixit, quam si interroganti: unde tam conspirans omnium rerum ordo & natura? ab omnium rerum ordine & natura, respondisset. Cum quæstio fuerit, utrum ordo iste temere an providentia sit exortus? Pro hac cum multa alia tum in primis duo militant. Unum est illa, de qua hactenus egimus, rerum dispositio & facies, ita commoda, & ad omnium utilitatem comparata, ut temeritatis sit, credere, eam casu & cœco fortunæ ductu exortam. Alterum corporum singulorum admiranda structura, stupendæque operationes, certissima & præclarissima indicia, illa a maxime intelligenti sapientissimoque artifice inventa, facta & instituta fuisse primitus.

XXXIX.

Agnoscit hunc Balbus, & naturæ solertiam deprehendit, & quia, comparatis inter se Artis & Naturæ operibus, hæc illis longe præstantiora deprehendit, hinc scite & argutè concludit, aut detrahendam esse arti rationem, aut hanc Naturæ concedendam. Cotta nihil ad singula, ut debuit, respondet; sed de omnibus confuse & fidenter pronunciat, esse quidem naturæ opificia, non vero artificiose operan-

tis. Perinde qvasi tota controversia confecta foret, si, qvod
artificiosum fatetur, idem arte factum inficietur. Hoccine
vero est solvere rationes, qvibus pugnabat Balbus? Hoccine
est philosophari & sapere? Hoccine est explicare, qvid sit Na-
tura? Qvanto rectius & sapientius SENECA: Deus, inquit,
ipsa natura est, cum igitur ortum rerum tribuis natura & ac
detribis Deo, in eodem luto h̄esitans versuram solvis. A quo
enim fieri mundum negas, ab eodem plane fieri, mutato nomi-
ne, confiteris. Et alibi: sive naturam, sive ætherem, sive ra-
tionem, sive mentem, sive fatalem necessitatem, sive divinam
legem, sive quid aliud dixeris? idem est, qvod a nobis dicitur
Deus; nec obstat appellationum diversitas, cum ipsa significa-
tione ad unum omnia revolvantur.

XL.

Probat se Philosophum Seneca, dum, ut par est, & divinitatis
contactui, qvem congenitam Dei notitiam appellamus,
convenienter, solicite & constanter Deum propugnat; sed
Stoicum, dum hunc eodem, cum MARONIS æthere vivo,
& Diogenis Apolloniate aere divinæ rationis compote, loco
habet, nec a materia debito modo discriminat & distingvit.
Nempe Stoici, ceu in præcedentibus expositum, Deum &
materiam primam unum Ens per se constituebant, & Mun-
dum, ut THOMASIUS eleganter eorum mentem expo-
nit, comparabant cum ovo absque principio æterno, cuius
materiam undiqvaqve totam pervagata ðvra p̄s animet πλα-
σιη, qvâ se ipsam formet in avem, qvæ circulis æternis rudi-
tatem suam jam resumat, jam exuat, alias ovum, alias avis.
Qvod probe perspectum habuit BERIGARDUS; hinc in-
troducit Aristæum ex veterum sententia contendentem:
intellec̄tum infinitum esse late sumendum, pro qvadam vi emi-
nente rerum omnium ordinandis, qvam optime fieri potest,
qvæ licet ab ipsis reb⁹ non sit distincta, tamen propterea intel-
lectus vocetur, qvod longe melius disponat omnia, qvam mens
Anaxagoræ.

XLI.

XLI.

Verum enimvero, si vis ista non est distincta a rebus, qui potuit eas elaborare & ordinare, cum caussam semper & ubique ab effectu distinctam deprehendamus. Eo, inqvis, modo, quo anima corpus, cum quo unum constituit & absolvit hominem. Bene! Atqui anima corpus non ex se; sed ex materia construit, & a corpore etiam in arctissima coniunctione est distincta diversaque. Porro cum quicquid corporum Mundanorum est, juxta Stoicos & que ac juxta veteres, siue Theologos, siue Physicos, ex Initius & minimis componatur, convenit ne vis illa primum atomis, an corporibus? Si his, initia eadem carebunt, sin illis erit eadem vel una, vel & que ac individua, & $\alpha\epsilon\chi\alpha\eta$ numero infinita. Si tam varia est quam variæ sunt atomi, infiniti erunt Mundi opifices, ejusdem potestatis & omnium rerum ad Mundum condendum & conservandum pertinentium consci; sin una est, nonne necessario a minimis debet esse diversa? Aut, si forte Stoicorum Materia Prima similis est Cartesiana, dividitur & discerpitur etiam intellectus materia in partes divisa? Denique siue $\alpha\rho\chi\alpha\eta$, siue $\sigma\omega\chi\epsilon\alpha$ sapient, nonne praeter homines etiam anseres, fungi item & trunci sapient intelligentque? Certe! Nisi, ut H. MORUS jocatur, dicere velis, vim illam in lapidibus stupere, in anseribus intelligere anserino modo, in asinis asinino.

XLII.

Quicquid horum tetigeris ulcus est. Sed nec exitum reperit male instituta ratio, in particularum sympathia & antipathia, & Naturæ consensu, per quem, ut BERIGARDUS refert, Veteres omnia constitui voluerunt. Consentire enim & dissentire illorum solum est, quæ ratione & sensu, vel alterutro istorum minimum praedita sunt, non quæ ambobus destituuntur, ut de atomis demonstratum dedit H. MORUS, & largiuntur omnes, qui vel corpuscularem, vel mechanicam philosophiam sectantur, statuentes, caussam, quam quærimus, esse ipsam materiam, viribus suis necessarios in se carentem motus, atque in hunc, quem videmus, rerum ordinem, certa operandi via se perficientem. Quo pacto idem cuique Naturæ opus & ipsa Naturæ, quo vermiculato vere emblemate PLINIUS ea exornavit,

navit, qvæ sub initium operis de Mundo magnifice dixit: natura vero nil aliud est, qvam ea caussarum & effectuum via, e casu, aut necessitate materiæ orta, qvam sua philosophandi ratione qvisqve descripsit. Fortuitus videlicet atomorum concursus in Philosophia Epicuræa. Non vacat in præsens omnia recensere, qvæ adversus male sanam sectam disputari possunt. Fecit id subtilissimi ingenii Vir, Sam. PARKERUS, & ita fecit, ut rem plane confecisse videatur. Caput mali leviter tangere momentum controversiæ flagitat.

XLIII.

Aperit istud PARKERUS qvando ex Eicadistis per cunctatur? unquamne, quid sit atomus, cogitastis? Aut, qvanta sit perfectio SOLANATURÆ SUÆ VIRTUTE EXISTENDI NECESSITAS? Nempe cum, solum ens infinite absoluteqve perfectum, necessario existere adeo ex ratione sit evidens, ut vel, atheorum facile nequissimus, Spinoza id agnoscat, & suæ recordiæ aut malitiæ fundamentum ponat, nihil utiqve amplius ad evertendum totum Epicuræorum Universum reqviretur, qvam ostendere, atomos entia esse omnium imperfectissima, & nec existere, nec moveri a se ipsis posse. Qvorum utrumqve, ex ratione pariter atque ratis Epicuri sententiis, sole meridiano clarius est. Nam existentes ab alio moveri debuisse patet, qvia in iis nullum est principium motus, nulla caussa, a qua in motum agi qveant. A Gravitate, inquit Epicurus. Hoccine vero erat qualitates omnes tanta fiducia conculcare, & philosophos omnes, qui nihil supra eas sapiunt, tanto fastu excipere, ut tandem omnium mechanicarum virium energia in nescio qvam cæcam & occultam qualitatem devolvatur? Occultam dico, qvia nulli mortalium explicabis. Ab individuum soliditate non oritur, ut qvæ solitaria tam sunt exilia, ut, non nisi multis millibus in unam molleculam concretis, visui aut tractui pateant. Accedit, qvod ex inæqualitate & acceleratione motus, qui vulgo a gravitate nasci dicitur, omnibus sit manifestissimum, eundem necessario ab extrinseco deberre esse impressum. Perspexerat id sine dubio πένταθλο in scientiis DEMOCRITUS, & ideo, auctore STOBÆO, censuerat, prima corpora gravitate carere, mutuo autem se pellendo per infinitum

nitum moveri. Qvanquam æque ineptum, sit iis motum sine impulsore externo, atque, sine vi motrice tribuere.

XLIV.

Demus vero hoc Epicuro. Nam nihilo felicius eo ipso Mundum construet. Cum enim atomi alia, quam quæ a figura est differentia, inter se non distinguntur, & omnes æque veloces sint, & quolibet momento novum celeritatis gradum acquirant, pertransibunt eæ tandem quolibet instanti immensitatem, nec tamen unquam coibūt. Occurrebat hoc homini acuto, itaque rem attulit commentitiam, & declinare dixit atomum per paullum, quo nihil posset fieri minus. Ita effici complexiones, & copulationes, & adhæsiones atomorum inter se, ex quo efficeretur Mundus. Quam recte & bene vero id finxerit, docet CICERO: *Quæ cum res, inquietis, tota sit facta pueriliter, tum ne efficit quidem, quod sult.* Posterius, paucis omissis, ita declarat: *Nam si omnes atomi declinabunt, nulla unquam cohæscent: si hæc aliae declinabunt, aliae suo nutrere feruntur; primum erit hoc quæsi provincias atomis dare, quæ oblique ferantur, deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulent a concurso, hunc Mundi ornatum efficere non poterit.* Possent in hanc rem longe plurima adferri, nisi eadem jamdum alii occupassent omnia. Nam præter ea, quæ in fictam illam ad libidinem, & sine caussa declinationem dixit St. GRANDIS, multa etiam monuit S. PARKERUS, qui totum hunc Ciceronis locum; maxime vero ultimam rationem elegantissime illustravit. Denique, an materia alia se movens, alia se sistens & fixans esse, aut eas ad motum & quietem indifferenter habere; vel immediatas has motus & quietis proprietates utrasque simul exercere possit, subtiliter discussit H. MORUS.

XLV.

Quæsita Epicuro a GASSENDIO excusatio: illud Ciceronis hoc esse optare, & provincias dare atomis, hæc quidem eidem objici, sed tamen eam esse ingenii humani imbecillitatem ut objici eadem nemini non possint, minime est accepta. Non quod cum PARKERO statuamus, hæc a Cicerone objici, non quod Physico turpe putaret, principiis provincias dare, sed, ut ab Epicuro dantur, sine caussa dari; verum ideo, quod ea non modo Epicurum & gregales non excusat, verum etiam erroris penitus convincat. Si enim, ut pergit GASSENDUS de ipsis principiis, nil aliud dicere licet, nisi, quod hæc isto, illa illo modo se habeant, ex suæ naturæ necessitate; germanam vero caussam ignoremus, ob quam ita se habeant, imo hæc frustra quærat, nisi sit eundum in infinitum; quid aliud, amabo, relinqvitur quam agnoscere ita instituentem Deum ab universo toto cœlo distinctum. Præsertim cum nemo non illorum omnium, qui naturæ mentem detrahunt, eam eidem occulto, & per ambages, velut postliminio restituant, & naturalibus principiis quasi Consilium & idonei electionem tribuant, atque de ipsis materiæ particulis, perinde ac mente & affectibus præditis, philosophentur. Quod de Spinoza & Epicuro proclive fore probare, nisi id ad Parkero jam esset factum.

XLVI.

Ut vero atomos a se ipsis esse non posse perspicias, finge solitariam atomum ex omni æternitate, in immenso spatio habitare; annon vero ea invasta sua solitudine solivaga spectaculum perridiculum videretur? Eam ab omni parte diligentissime

me

me circumspice & qvanta potes attentione adverte, qvid in ea deprehendas, ut a se sola sempiternam stabilitatem habeat, ut hac figura atqve magnitudine potius qvam alia qvacunqve gaudeat, ut sine caussa in spatio immenso hunc occupaverit locum. Et si impetrare a te poteris, extitisse eam, expende, cur non sola? cur aliæ innumerabiles simul extitere? cum nullum iis invicem commercium intercedat, neqve altera alterius caussa sit? Porro, si atomi nullo pacto in existentiam proruperunt, sed qvælibet a qualibet soluta, sua virtute existit, sibi qvæ ipsa existendi principium est, fortuitum esse necesse est singulis, reliqvas omnes existere. Et sic erunt entia, & necessaria, & contingentia, & qva necessaria actu infinita, qva contingentia possibilia, & talia qvæ possint non esse. Si possunt non esse, cur existunt? Si sunt vere infinita, qvi potuit, aliqvid nasci? Infinita qvippe corpora æqvalia sunt infinitis spatiis, & si æqvalia sunt, implent eadem, si implent, intercipitur omnis Naturæ Epicurææ motus & actio.

XLVII.

Annon vero satis evidens est contradic^{tio}, esse magnitudinem & tamen infinitum; item habere partes infinitas, & tamen esse finitum ac undiqvaqve terminatum. Sed demonstremus id non nihil apertius: nimirum partes, ex qvibus totum extensione infinitum constabit, a parte rei vel finitæ erunt, vel infinitæ. Neutras autem infinitum admittit corpus. Non primo finitas. Nam extremæ partis terminatio eadem omnino est cum terminatione totius, ut toti non magis deesse possit terminus, & extremitas, qvam ipsi ejusdem ultimæ parti finitæ. Et qvis, nisi, cujus insania sit sine ulla proportione infinita, dicat, finiti ad infinitum dari, aut dari posse proportionem? Non deniq^{ue} infinitas. Numerus enim innumerus est non numerus, & partes extensæ infinitæ, seipsas evertunt. Qvorum utrumqve solide & invicte demonstravit GERH. de VRIES. Si non sunt infinitæ, neqve æternæ, neqve a seipsis sunt. Ad extremum individuorum finem non possunt non agnoscere Epicuræi. Sunt enim partes totius, omnis vero pars in gratiam totius est. At esse alterius gratia, & incertum finem, & esse a seipso a^osū^osata sunt.

XLVIII.

Ἐπερβαλλόντως ἴμο Θεοφορήτως proinde, Parkerus: annon, inquit, satius esse putatis, unicam naturam qvæ infinita sua perfectione existendi necessitatem in se habeat, qvæqve, cum summa sapientia polleat, præstantissimam mundi œconomiam olim concinnaverit, qvam innumerabiles pulvisculos, qvamvis nulla essentiæ nobilitate antecellant, sibi suæ existentiæ caussas esse, & qvamvis omnes confilii & rationes expertes fuerint, omnem universi ordinem consecuisse? Ipse profecto, si nulla alia ratione, hac saltem caussam qvandom esse necesse sit, qvæ ipsam inertis materiæ sylvam procreavit. Atqve non modo primum physicæ decretum, sed eidem anticipari oportere dicerem, e nihilo procreari omnia, qvod nisi caussa qvadam effectrice procreatur materia, & qvibus fiunt omnia, res tam iners nunquam esse potuisset.

Addenda a prelo currente omissa §. XXXV. in fin. pag. Cœlestibusq^{ue} Orbibus subinde contingere ab Hippocrate inde solentes §. XLVIII. lin. qvarta a fine post qvandam, primam esse concluseram, q^{uo}d caussam qvandam

05 A 2m7



KOMA

Ab.



Farkarte #13



Q. F. F. Q. S.
De
CREATIONE
PRIMA.
Ex Historia Naturali

P RÆSIDE
JOH. BAPT. ROESCHELIO,
Phyl. Prof.
disputabit
M. GOTTLÖB LEHMANNUS,

Beltitiensis Saxo,
SERENISS. ELECT. SAX. ALUMN.

In Auditorio Majori

Ad d. Junii M DC XCVII.

WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.